



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

Bellelli, Fulgenzio

Monachii [u.a.], 1749

§.II. Propositiones quesnelli spectantes ad Fidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83741](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83741)

§. II.

Propositiones Quesnelli spectantes ad Fidem.

S U M M A R I U M.

1. Propositiones quatuor proximæ.
2. Proscriptus earum sensus.

3. Præfatis erroribus contraria doctrina Augustiniata.

1.
Propositio-
nes 26. 27.
28. 29.

I. SEquuntur quatuor propositiones Quesnelli pertinentes ad fidem. In XXVI. inquit nullas dari gratias nisi *per fidem*. In XXVII. repetit *fidem* esse primam gratiam, omniumque aliarum fontem. In XXVIII. enuntiat primam gratiam, quam Deus peccatori elargitur, esse *remissionem peccatorum*: atque in XXIX. concludit extra Ecclesiam, scilicet ubi non est fides & peccatorum remissio, à Deo *nullam gratiam* concedi.

2.
Earundem
sensus pro-
scriptus.

II. Constat pravam Quesnelli sensum non esse in eo situm, quod asseruerit fidem primam dari, *ex qua impetrentur cætera*, aut fidem esse *humanae salutis initium*; id enim traditur ab Augustino de Prædestinat. Sanctorum cap. 7. necnon à Tridentino Concilio sess. 6. cap. 8. sed cum in fide distinguendum sit, quod ad ipsam præparat, cujusmodi sunt divina inspiratio, pius credulitatis affectus, aliaque gratiarum munera concessa infidelibus, priusquam credant, & quod ipsa fidem peculiariter constituit, assensus nempe præstitus mysteriis divinitus revelatis; Quesnellus nullam gratiam admittens extra Ecclesiam, nomine *fidei* intellexit fidem claram, & distinctam in Christum; atque ita (inquiunt Galliarum Præsules in Instruct. Pastoralis pagina 39.) non distinxit inter gratias, quæ præparant ad fidem, atque inter eas, quæ ipsam fidem producant. Similia centum Episcopi pagina 34. §. *Il faut faire une distinction nécessaire entre les divers degrez de la Foy*. Et quidem recte: nam ante fidem præparari voluntatem ad credendum per gratiam prævenientem, docet Augustinus de dono perseverantiæ cap. 16. definit synodus Arausica can. 2. ac Tridentina sess. 6. can. 3. & adversus Semipelagianos Catholici fatentur omnes. Vide Jacobum Fontana pagina 438. tomo 1. Henricum Cardinalem de Bissy pagina 529. Verit. & æquit. Constit. pagina 38. aliosque auctores superius commemoratos. II. Quod consecrarium est præcedentium, Quesnellus *nullam* in paganis & infidelibus extra Ecclesiam positis admittit *gratiam sufficientem*; id vero damnatum est ab

Alexandro VIII. propositione quinta inter xxxi. & quidem omni æquitate: ex opposito enim dogmate sequeretur nullum infidelem, nullum hæreticum, nullumque schismaticum converti, imò nec pro sua conversione Deum orare posse. Atque id pariter observarunt prælaudati auctores in propositionem 29. necnon Dominicus Viva pagina 179. Cardinalis Selleri tomo 4. pag. 188. Desirantius p. 3. pagina 152. auctor Opusculi, *Les cent & une propositions*, &c. pagina 74. aliique communiter. III. Efficiens Quesnellus primam omnium gratiarum esse *peccatorum remissionem*, cohærenter affirmat non tantum Judæis, paganis, cæterisque omnibus extra Ecclesiam constitutis, atque illis præsertim, quibus nunquam contingit ut ad Deum convertantur, sed nec fidelibus in peccatum lapsis, nullam unquam obvenire supernam gratiam, quamdiu permanerint in peccato. Portentofus hic error tollit dispositionem omnem, quæ justificationem præcedit, aut hæresi plusquam Pelagiana negat eandem dispositionem pendere à supernaturali gratiæ adiutorio. Recte ergo Theologi Quesnellum confutarunt ex his, quæ Tridentina Synodus definit sess. 6. cap. 6. de modo, quo peccatores disponuntur ad justificationem, atque ex his, quæ eadem sessione can. 3. statuit de gratiâ omnem actum fidei, spei, & dilectionis, quibus ad justificationem disponimur, præveniente. Observarunt quoque hæc thesibus renovasse Quesnellum propositiones Baji 35. & 40. necnon 8. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. quibus asseritur infideles & impios, priusquam justificentur, utpote omni gratia destitutos, & servientes dominanti cupiditati, peccare in omnibus suis actibus. Vide Jacobum Fontana tomo 1. pagina 496. Epistolam V. Abbatis demonstrantis æquitatem Constitutionis *Unigenitus*, pagina 64. *Venin des 101. proposit.* pagina 11. Opusculum inscriptum, *Veritas & æquitas*, pagina 38. Gregorium Cardinalem Selleri tomo 5. pagina 136. Bernardum Desirant p. 3. libro 28. pagina 122. Cardinalem de Bissy tomo 1. pag. 512. Institutionem Pastoralem Episcopi Suevici-

(G) 3

hens

nensis per Augustinianum Theologum latine redditam §. 8. pagina 58. *Lescent & une propositions qualifiées en detail*, pag. 74. Hinc vero perspicuum est nullam à Quesnello admitti gratiam ante fidem perfectam, nullam in iis, qui sunt extra Ecclesiam, nullam denique in peccatoribus ad justificationem se disponentibus.

3.
*Augusti-
nensium Ca-
tholica &
orthodoxa
doctrina.*

III. Orthodoxiam Augustinianæ Scholæ, atque oppositionem cum præfatis Quesnelli erroribus, aperte scripta nostra declarant. I. Disputantes enim libro 15. adversus Semipelagianam hæresim ostendimus cap. 4. necessariam esse gratiam prævenientem ad fidei initium, ac divini muneris esse, ut oremus, petamus, queramus, atque pulsemus, uti de dono perseverantiæ cap. 23. ait Augustinus. Perspicue etiam eodem capite docuimus distinguenda esse in fide sanctam cogitationem, & collustrationem mentis, deinde inspirationem sanctæ voluntatis audiendi Evangelium ex desiderio salutis, tum deliberatum assensum, & actum ipsum credendi, probantes, & auctoritate canonum, Patrum testimoniis, exemploque Cornelii, Zachæi, & Nathanaelis confirmantes, quidquid adversus 26. & 27. propositionem Quesnellianam prælaudati Theologi prodixerunt. II. Insuper differentes de operibus eorum, qui destituti sunt gratia fidei, libro 18. cap. 2. prop. 4. demonstravimus auctoritate Augustini disputantis contra Julianum, etiam infideles aliquando bona opera facere ex

gratiæ adiutorio; ibique produximus exemplum Polemonis, cujus continentiam adscribendam gratiæ censet ipsemet Sanctus Pater ob ea, quæ leguntur Sapientiæ 8. *Nemo esse potest continens, nisi Deus det*. Propositione autem prima ejusdem capitis statuimus tum ab infidelibus ante fidem perfectam, tum ab impiis ante justificationem plura fieri, quæ nequeunt censerī peccata, producto Tridentino canone, damnatisque Witclefi, & Michaelis Baji propositionibus. Infidelibus item, necnon pervicacissimis peccatoribus conferri *sufficientem gratiam* (quamquam non semper, ut adversarii nostri contendunt) eodem libro cap. 8. sæpenumero testati sumus. III. Demum, ne ab eodem libro discedamus, neque dere notissima prolixiori oratione tractemus, secundo capite præcitato expresse refutavimus dogmata Baji & Quesnelli, propterea quod ante remissionem peccatorum in impiis, in catechumenis, & non semel in infidelibus inveniuntur bona opera facta supernaturalis gratiæ adiutorio; Tridentini vero doctrinam de dispositionibus, quæ justificationem præcedunt, libro undevicesimo cap. 4. pro nostra virili explicavimus propugnativisque, immunes propterea ab omni labe erroris Quesnelliani paulo supra descripti. Appellamus autem criminatum oculos ad ea, quæ mandavimus literis in tertio Theologicarum disquisitionum Volumine pag. 158. 160. 244. 248. 249. 279. & 312.

§. III.

*Sequuntur errores Quesnelli circa Dei voluntatem salvandi omnes,
& circa Christi mortem ac redemptionem.*

S U M M A R I U M.

1. Quatuor sequentes Quesnellii propositiones,
2. Quesnellianus harum sensus.

3. Quesnellianæ adversa Augustinianorum doctrina.

I. **P**roximæ propositiones quatuor enuntiantur à Quesnello adversus voluntatem, quam Deus habet, salvandi omnes, & adversus mortem Christi, redemptionemque hominum universorum. In propositione itaque xxx. dogmatizat omnes *infallibiliter* per Christum salvari, quoscunque Deus vult ut salventur. Ait in xxxi. impleri, & consequi effectum suum omnia prorsus desideria Christi, ac semper obtinere intimam cordis tranquillitatem eos omnes, quibus illam Christus ipse peroptat. In xxxii. asserit Jesum

Christum se morti tradidisse, ut *pro semper liberaret* de potestate angeli exterminatoris primogenitos, id est, *electos*. Addit in xxxiii. oportere, ut bonis terrenis & sibi metipsis renuntiet, quisquis fiduciam habere vult sibi appropriandi Christum Jesum, ejusque amorem, mortem, & mysteria, quemadmodum fecit Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*.

II. Negat Quesnellus in his propositionibus, velle Deum, ut aliqui salvi fiant, præter prædestinatos electosque, qui certissimi salvantur. I. Hunc Jansenii errorem notant

I.
*Proposit.
Quesnelli* 30.
usq. 33.

2.
*Sensus Ques-
nellianus.*